

Sic Minister baptizans est simul causa physica & Moralis. Physica quoad aquæ in baptismo asperfusionem. Moralis quoad gratiæ collationem. Sic Latro truculentas viatori inferens manus, patrata internecionis & homicidii causa Physica est, & tamen alio respectu quoque infimul causa Moralis, dum ipsi rectissime imputatur homicidium, eo quod sciens & volens imò cum voluntatis suæ applausu illud perpetravit facinorosum facinus; Exinde quoque est, quod Causa Moralis cum Physica interdum conveniat, & quidem tum in eo, quod utraque in suo genere sui effectus sit principium & proportionato suo modo utrique competat influxus. Nam & Causa Moralis suum effectum per modum Antecedentis & consequentis respicit, tum in eo, quod utrique aliquis respondeat effectus, Physicæ, ob realem & physicum influxum, realiter causatus, Morali ob æstimationem ac si influxisset, juste imputatus.

§. XI.

(2.) In Definitione Causæ Moralis dicitur, quæ ita se gerit, ut ei imputetur effectus prudentum æstimatione. Initio verbo gerendi comprehenduntur omnes modi, quibus causa Moralis ad effectum concurrat, ut ipsi imputetur, quorum nonnulli post enucleatum Conceptum Differentialem specificabuntur; Deinde hæc Definitionis verba fundamentum imputationis supponunt, & id, ob quod imputatio ipsi potest convenire. Moralis enim Causa ita se gerit, ut ex eo imputationem vel ad pœnam vel ad præmium consequatur & quidem æstimatione prudentum; Causa enim moralis ait Slevogt, *et si semper aliquid morale, quod vel laude vel vituperio dignum continet, moralis tamen exinde potissimum dicta videtur, quod more ac æstimatione prudentum perinde habetur, ac si Causa Physica sit, ac vera ac reali actione effectum, qui ipsi imputatur produxisset.* Hinc requiritur Prudentum æstimatio, i. e. eorum, qui literarum conscendere cacumina, ac propter earundem culturam ac polituram in dignitatis positi sint fastigio. Idcirco sapientum fit Autoritas, non insipientium, Prudentum, non Idiotarum, qui Bæoticum habent ingenium, & Militide sunt stultiore. Judicium sit judiciosi, & emunctæ naris viri, non talis, qui de grege Arcadico, aut Antronia cohorte. Bardorum enim.